

et factorum et consiliorum tuorum, quaecunque acciderent, fortissimo et maximo animo ferre deberes. Vale.

XVII. CICERO TÓRANIO S. D.

•Toranium consolatur ex suo exemplo, qui, cum antea idem quod ille sentiret, nihilque proficeret etiam rectis consiliis; moderate nunc ferat quae acciderant, ostendens, quantum levamen sit, recte vereque sensisse: monetque, ut nihil de rebus suis, praeterquam quod commune est, timeat.»

Etsi quum haec ad te scribebam, aut appropinquare exitus huius calamitosissimi belli, aut iam aliquid actum et confectum videbatur: tamen quotidie commemorabam te unum in tanto exercitu mihi fuisse adsensorem, et me tibi; solosque nos vidisse, quantum esset in eo bello mali, in quo, spe pacis exclusa, ipsa victoria futura esset acerbissima: quae aut interitum allatura esset, si victus esses; aut, si vicisses, servitutem. Itaque ego, quem tum fortes illi viri et sapientes Domitii, et Lentuli timidum esse dicebant (eram plane; timebam enim, ne evenirent ea, quae acciderunt) idem nunc nihil timeo, et ad omnem eventum paratus sum. Cum aliquid videbatur caveri posse, tum id negligi dolebam, nunc vero eversis omnibus rebus, cum consilio profici nihil possit; una ratio videtur, quidquid evenerit, ferre moderate, praesertim cum omnium rerum mors sit extremum: et mihi sim conscientius, me, quoad licuerit, dignitati reipublicae consuluisse, et, hac amissa, salutem retinere voluisse. Haec scripsi, non ut de me ipse dicerem, sed ut tu, qui conjunctissima fuisti tecum et sententia et voluntate, eadem cogitares. Magna enim consolatio est, cum recordare, etiam si seruus acciderit, te tamen recte vereque sensisse. Atque utinam liceat aliquando aliquo reipublicæ statu nos frui, inter nosque conferre sollicitudines nostras, quas pertulimus tum, cum timidi putabamur, quia dicebamus ea futura, quac facta